

- 23 *Etiā hereticus, vel degradatus ad validē confirmandum.*
- 24 *Minister extraordinarius potest esse simplex sacerdos ex delegatione Papæ;*
- 25 *Quam hic solus, & nullus alius dare potest.*

ASSERTIO IV.

21 **M**inister Ordinarius Sacramenti confirmationis validè conferendi est solus Episcopus, & quilibet Episcopus, etiam hereticus, vel degradatus. Potest tamen etiam sacerdos non Episcopus, esse Minister huius sacramenti validè, & licitè conferendi extraordinarius, per specialem commissionem, & delegationem Romani Pontificis, quam hic solus, & nullus alius dare potest. Est certa.

§. I. Minister Ordinarius Sacramenti confirmationis est solus Episcopus.

22 **E**st de fide definitum in Concilio Tridentino sess. 7. can. 3. de confirmatione: dicente: *si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinariam Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Quod etiam antea indicaverat Concilium Florentinum, in Decreto Eugenii, ita quidem, ut non tantum solus Episcopus sit Minister Ordinarius, & necessarius confirmationis necessitate Præcepti, sed etiam Sacramenti; ita, ut si simplex sacerdos propria Authoritate illud conferre tentet, nihil efficiat; quia, cum ex institutione Christi Ordinarius ipse Minister sit solus Episcopus, à quoque inferiori collatum erit invalidum. Quæ veritas fundamentum suum habet in sacra scriptura: Nam soli Apostoli in actibus Apostolorum, imponebant manus, & dabant Spiritum sanctum, quod erat confirmationis sacramentum: quia soli Apostoli tunc temporis erant Episcopi: unde *Act. 8.* Misisti sunt Petrus, & Joannes, ut per impositionem manuum darent spiritum sanctum, iis, quos Philippus in samaria baptizaverat, & *Act. 19.* Paulus ipse Apostolus manus imponebat illis, quos alii baptizaverant; quod non alia ratione factum censetur à sacris Doctoribus, & Patribus, nisi eo quod Apostoli non solum quia erant sacerdotes, sed maxime, quia erant Episcopi, debebant hoc sacramentum ex Christi institutione propriis manibus conferre: Propterea Concilium Tridentinum, sess. 23. c. 4. inter alias functiones proprias Episcoporum, quarum functionum potestatem reliqui sacerdotes inferioris Ordinis nullam habent, ponit hanc, scilicet confirmationis sacramentum conferre. Quare Episcopus juxta Barbosam de Offic. & potest. Episc. Allegat. 30. num. 9. tenetur sedulo administrare hoc sacramentum: ita ut graviter peccet, si multo tempore negligenter omittat confirmare, adeoque mortaliter. Paluas apud Gobat tract. 2. Casu 21. num. 752. quia scilicet magno fructu spirituali privat oves sibi commissas. Porro hoc sacramentum conferre debet Episcopus cum stola, Mitra, & Baculo Pastoralis, ut respondit sacra Congregatio apud Barbosam, & Gobat cit. n. 754.

§. II. Quilibet Episcopus, etiam hereticus, vel degradatus validè potest conferre sacramentum confirmationis.

23 **C**ommunissima DD. apud Mastrium, Herincx, & alios Ratio est: Quia collatio huius sacramenti est actus Ordinis Episcopalis, non verò Jurisdictionis, nec ad hoc sacramentum validè administrandum requiritur, nisi debita materia, & forma, à Ministro habente Ordinem Episcopalem, & intentionem faciendi, quod Christus instituit, ministrata, atque per hæresim, vel degradationem, Episcopus Ordinem Episcopalem non amittit, cum non amittat Characterem Episcopalem, utpotè indelebilem, qui per nullum peccatum tollitur, & impeditur, quominus validè, esto non licitè, Episcopus exerceat functiones Episcopales, ut definit Tridentinum de quolibet peccato sess. 7. can. 12. de sacramentis in genere ibi: *si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia, essentialia, que ad sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre sacramentum, anathema sit.* Hinc etiam validè confirmat Episcopus, etsi non sit ipse confirmatus; non enim à Characterem confirmationis, sed Ordinis Episcopalis proficiscitur hæc potestas; ut proinde debeat ipse Episcopus esse consecratus, nec sufficiat esse præditum Jurisdictione Episcopali. Gobat loco citat. num. 751. Ut autem licitè etiam conferat Episcopus sacramentum confirmationis, utique debet esse in statu gratiæ, non excommunicatus, suspen-

sus, irregularis, &c. quæ omnia constant ex Theologia Morali sacramentali P. Sporer, part. 1. de Sacramentis in genere, & iis, quæ diximus in Supplemento Theol. Moral. Decalogal. P. Sporer, de censuris, & irregularitatibus, cap. 3. quod Lectorem remittimus.

§. III. Minister extraordinarius confirmationis

24 **V**alidè, & licitè conferendæ potest esse sacerdos etiam non Episcopus, per specialem commissionem, & delegationem summi Pontificis. Ita Doctores, Seraphicus S. Bonaventura, Angelicus D. Thomas, subtilis Joannes Duns Scotus, & irrefragabilis Alexander Alesis apud Mastrium in 4. disp. 2. q. 8. art. 3. n. 245. Ratio est: quia S. Gregorius Papa lib. 6. Epist. 66. & refertur cap. pervenit. disp. 95. concessit Presbyteris Sardinæ confirmare: Quod indicat Eugenius IV. in Concilio Florentino citat. dicens: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc sacramentum confirmationis ministrasse.* Ita Concilium, idem fecere alii Pontifices maximi, concedentes hanc potestatem pro remotis regionibus, Presbyteris, ut probatissimi scriptores testantur. Unde sacra Cardinalium Congregatio apud Herincx disp. 9. de Sacramento confirmationis qu. 5. nu. 43. declaravit: *Abbatem ex privilegio sedis Apostolicæ, de consensu tamen Ordinarium hoc sacramentum confirmationis conferre possunt.* Pro Indis facultatem confirmandi concesserunt Fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut patet ex Rodriguez in suo Bullario Regular. in Bulla 3. Leonis X. Eadem concessit aliquibus Patribus societatibus Gregorius XIII. ut testatur Suarez. Ex his apparet, hanc sententiam esse moraliter certam; quare simplex sacerdos ex speciali commissione Papæ ministrans sacramentum confirmationis, validè, & licitè confirmaret, nec foret reiteranda confirmatio: quia in sacramentis, etiam, quando agitur de valore, sufficit sequi sententiam moraliter certam, etsi non tutiorem. Aliud foret, si juxta superius dicta conferretur confirmatio chrismate à simplici sacerdote benedicto: quia illa sententia docens, posse à Papa, simplici sacerdoti, committi potestatem consecrandi Chrisma, non est moraliter certa, sed tantum probabilis speculative, adeoque nec licitè practicanda; & si fuisset practicata confirmatio foret iteranda, nisi interim accederet fundamentum reddens eam moraliter certam. Ita Illung tractat. 6. disp. 3. artic. 1. à numer. 37. Sbogaz tr. 35. num. 7. citans alios. Ratio autem, cur Christus Benedictionem Chrismatis pro Sacramento confirmationis, non permiserit simplicibus sacerdotibus, & tamen eisdem, cum licentia Papæ sui Vicarii, permiserit collationem Sacramenti confirmationis, hæc videtur esse: quia ubique potest haberi Chrisma ab aliquo Episcopo benedictum: cum possit de loco in locum transmitti; non possunt autem ubique haberi Episcopi; adeoque etiam simplex sacerdos debuit posse esse Minister confirmationis extraordinarius per specialem commissionem, & delegationem Papæ.

§. IV. Quam hic solus, & nullus alius dare potest.

25 **C**ommunis apud Mastrium in 4. disp. 2. qu. 8. numer. 245. & 246. Ratio est: quia hæc commissio in Concilio Florentino citato refertur, ut specialis prærogativa sedis Apostolicæ, & ex continua Ecclesiæ praxi constat, à nullo umquam Episcopo, sine commissione Papæ, hoc privilegium confirmandi, simplici sacerdoti legitime fuisse concessum, quod signum est, hanc potestatem commitendi simplici sacerdoti facultatem confirmandi, in summo Pontifice, ex Christi institutione esse potestatem Jurisdictionis universalis in totam Ecclesiam, non verò tantum Ordinis Episcopalis. Unde Herincx disp. 9. de Sacramento confirmationis, qu. 5. num. 50. ait: Hanc potestatem confirmandi potest dare summus Pontifex, etiam non consecratus: cum sit actus Jurisdictionis. Unde si ipsemet adhuc foret simplex sacerdos, posset illam dare sibi ipsi, & num. 49. inquit: Quamvis autem, ut Papa committat simplici sacerdoti hanc administrationem confirmationis, congruum Ecclesiæ regimen videatur rationabilem causam exigere, tamen illa non apparet necessaria ad valorem, juxta Henriquez, Suarez, Coninch, & alios communius, etsi aliqui contradicant: Quia non est illa proprie, & stricte dicta dispensatio in Jure Divino, sed commissio potestatis secundum Christi institutionem; ita ut Christus instituerit, quod Minister huius Sacramenti Ordinarius, & ex officio esset Episcopus, ex-

extraordinarius autem, & ex commissione Summi Pontificis posset esse simplex Sacerdos. Quod ita esse, ex declaratione Ecclesiæ satis constat. Unde consequenter Papa tali commissione, non mutat essentialia huius Sacramenti, sed ea servat juxta institutionem, utens potestate sibi à Christo concessa. Appellatur autem à Concilio Florent. *Dispensatio Sedis Apostolicæ*; tum quia est commissio Superioris tribuens facultatem ad id, quod est extraordinarium, & aliàs simplici Sacerdoti interdicitum: tum quia procedit à Papa tamquam supremo Procuratore, & dispensatore Jurisdictionem, & facultatum. Ita Herincx loc. cit.

SECTIO II.

De subjecto, necessitate, effectu, & caeremoniis Sacramenti confirmationis.

QUESTIO I.

De subjecto confirmationis.

SUMMARIUM.

- 26 & 27 *Subjectum capax confirmationis validè recipiendæ est homo viator, baptizatus, nondum confirmatus.*
- 28 *Etiā infans;*
- 29 *Etiā perpetuò amens;*
- 30 *Quid requiratur ad licitè suscipiendum confirmationis Sacramentum?*
- 31 *Jejunium non requiritur in confirmante, nec in confirmando.*

ASSERTIO I.

26 **S**ubjectum capax confirmationis validè recipiendæ, est Homo viator, baptizatus, nondum confirmatus, etiam infans, perpetuò amens, & adultus habens intentionem, illam suscipiendi: Ad licitè verò recipiendam confirmationem præterea requiritur status gratiæ, & ut confirmandus sit subditus confirmantis. Communis DD. apud Gobat, Herincx, Layman, Mastrium, & alios.

§. I. Subjectum capax confirmationis validè recipiendæ est Homo viator, baptizatus, confirmatus nondum.

27 **E**st certa. Ratio primi, quod debeat esse Homo viator patet ex illa generali Regula, quod omnia Sacramenta sint pro hominibus viatoribus instituta, eò quod soli homines viatores sint novæ gratiæ capaces, ejusque accrementi. Ratio secundi, quod debeat esse baptizatus, patet ex eo: quia baptizatus est Janua cæterorum Sacramentorum, quorum proinde incapax est, qui non est baptizatus c. 1. & 3. de presbytero non baptizato. Accedit Ratio congruentiæ ex D. Thoma qu. 72. art. 6. quia confirmatio est quædam baptismi perfectio: Unde sicut nemo potest corporaliter crescere, nisi fuerit corporaliter genitus, ita nec per confirmationem poterit quisquam crescere in perfectum Christianum, nisi prius fuerit in Christo genitus per baptismum. Nec obstat, quod *Act. 10.* legatur Spiritum sanctum fuisse datum necdum baptizatis: Hoc enim sine Sacramento fuit factum per extraordinariam potestatem DEI independentis à Sacramentalibus signis; siue nihilominus fuerit impressus character confirmationis, & tales redditi incapaces ulterioris Confirmationis, siue non, quod incertum est. Ratio Tertiæ, quod nondum debeat esse confirmatus, patet ex eo, quia Sacramentum confirmationis non tantum illicitè, sed etiam invalidè iteratur, ex Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere, can. 6. Non tamen permittens se bis confirmari, nec bis confirmans eundem, sit irregularis, juxta Barbosam de Offic. & potest. Episc. Allegat. 30. num. 30. Suarez de censur. d. 42. sect. 4. Gobat, & alios: quia talis irregularitas numquam exprimitur in toto Jure. Si verò dubites, an sis confirmatus, nec ne: Ergo pete confirmationem sub conditione tibi conferendam, si te nequeas exolvere dubio. Nugus in 3. p. q. 72. ar. 5. At majus hic dubium requiritur, quam pro baptismum: quia confirmatio non est tam necessaria, sicut baptismus.

§. II. Etiam Infans,

28 **A**tatem, quod attinet, ad hoc Sacramentum recipiendum requisitam, nulla est nimis matura, nulla nimis fera; quia quælibet est capax effectu recipiendi, quem hoc Sacramentum operatur. Possunt itaque validè, Supplem. Theol. Sacrament.

ut omnes consentiant, ac etiam licitè, saltem si adit causa aliquantum rationabilis, confirmati infantes adhuc à Matre rubentes, ut olim fiebat; nam post baptismum confirmabantur, ut videre est apud Suarez, Gobat, Layman, & alios. Rationabilis autem causa est, tum Mors imminens infanti, cui utique æternum erit melius, si moriatur unctus in fronte, qui prius unctus erat in vertice; nam augmento gratiæ succedit incrementum gloriæ. Tum quando Episcopus rariùs confirmat in tali loco. Tunc quando in Diebus viget consuetudo, ut infantes ante adventum usus rationis confirmantur. Layman lib. 6. tract. 3. cap. 5. num. 2. si tamen abstrahamus à periculo mortis, & aliis incommodis, magis expedit, ut collatio confirmationis differatur usque ad usum rationis, seu ad primum ætatis septennium: tum ut se etiam per actus proprios disponant ad fructuosiores huius Sacramenti susceptionem: tum ut sint ipsimet memores receptæ confirmationis. Sic communiter sentiunt Recentiores Theologi teste Gobat tr. 2. casu 22. n. 766.

§. III. Etiam perpetuò amens.

29 **Q**ui usum rationis semel affectus, postea in amen-tiam incidit, confirmari debet. Layman citat. n. 3. citans Suarez, Sotum, Henriquez, Coninch, & alios communiter. Ratio est: quia adest interpretativa hominis voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta ad animarum salutem à Christo instituta. Excipe I. nisi constet aliquid, mortali peccato obnoxium, in amen-tiam incidisse. II. Si spes sit, usum rationis recuperandum esse, tantisper expectandum foret. Insuper nihil obstat videtur, quominus etiam iis, qui perpetuò amentes sunt, confirmationis Sacramentum ministrandum sit. Ita docet Suarez, Henriquez, Coninch. Layman citat. Ratio est: quia ejusmodi amentes cum spirituali fructu, & sine irreverentia Sacramentum confirmationis suscipiunt, sicuti baptismum. Neque dubium est, quin olim tum infantibus, tum perpetuò amentibus utrumque Sacramentum ministratum fuerit. Nunc verò infantibus non solet ministrari; quia expectatur tempus, quo utilis percipere possint, quæ ratio cessat in perpetuò amentibus. Quare Episcopi, inquit Suarez, tales amentes confirmare debent.

§. IV. Adultus rationis compos,

30 **U**t validè recipiat confirmationis Sacramentum, utique debet habere intentionem saltem habitualem, illud suscipiendi, ut constat ex P. Sporer, Theol. Sacram. part. 1. cap. 2. sect. 4. num. 139. quem vide. In infantibus verò, & perpetuò amentibus nulla requiritur intentio: quia hanc in eis supplet Christus, & Ecclesia, sicut in baptismo. Porro ad licitè recipiendum Sacramentum confirmationis, requiritur. I. Status gratiæ. Ratio est: quia confirmatio est Sacramentum vivorum conferens gratiam sanctificantem secundam: ergo jam præsupponit in confirmando primam. Non tamen absolutè opus est præmittere Confessionem Sacramentalem, sed sufficit contritio perfecta iis, qui conseci sunt alicujus peccati mortalis. Gobat citat. num. 767. Herincx, & communis. Quia nullibi est præcepta Confessio sacramentalis confirmationis: sicut est præcepta communicare volentibus; consultius tamen esse, ac etiam necessarium, præmittere Confessionem Sacramentalem, iis, qui de suo peccato mortali fortè non possent elicere contritionem perfectam, aut amorem DEI super omnia, nullus dubitat. II. Requiritur, ut confirmandus sit subditus confirmantis. Layman cit. c. 6. numer. 3. Gobat, Herincx cum communi. Ratio est: quia ad licitè conferendum confirmationis Sacramentum, requiritur etiam Jurisdictio, adeoque Episcopus alios confirmare non debet, quam qui spiritualiter ipsi subditi sunt. Excipe: Nisi habeatur licentia saltem rationabiliter præsumpta proprii Ordinarii. Imò Episcopus confirmans in aliena Diocesi, etiam proprium subditum, incidit in suspensionem à Pontificalibus propter auctoritatem Concilii Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat. illimitatè loquentis. Gobat cit. num. 777. Si verò in propria Diocesi unà cum aliis in turba confirmet alienum, non peccat. Si autem seorsim; adeoque sciens esse extraneum, incurrit suspensionem juxta Bonaciam hic punct. 2. num. 11. & alios: nullam verò culpam juxta Barbosam, Jordanum, Layman apud Gobat citat. eò quod videatur esse tunc præsumpta voluntas alieni Episcopi.

Præterea Jejunium non requiritur in confirmante, vel confir-

mando, declarat praxis universalis Germania, sicuti & Romana, teste Jordano, 10.2. lib. 3. tit. 3. nu. 13. ut proinde doctrina c. ut jejuni de consecr. dist. 4. fuerit vel solum consilii, vel abrogata. Consentit S. Thomas q. 72. art. 12. ad 2. Deniq; monet Laym. cit. cap. 5. num. 2. Non expedire, ut post septennium, quando puer usum rationis adeptus est Sacramentum Confirmationis diutius differatur: quia dignius suscipitur ab innocente, seu gratiam baptismalem illam adhuc fervantem, ipsamque etiam Sacramentum remedii loco est, ut Homo à graviore lapsibus custodiat.

QUESTIO II.

De necessitate confirmationis.

SUMMARIUM.

- 33 Non datur preceptum ad recipiendam confirmationem obligans,
34 Per se loquendo
35 Hodie.
36 Tenentur tamen Episcopi sub peccato hoc Sacramentum suis subditis ministrare.

ASSERTIO II.

Non est preceptum Divinum, nec Ecclesiasticum, obligans per se loquendo hodie, ad recipiendam confirmationem: Tenentur tamen Episcopi sub peccato hoc Sacramentum suis subditis ministrare. Ita Layman cit. c. 6. nu. 3. Gobat, Herincx, & communis.

S. I. Non datur preceptum Divinum, nec Ecclesiasticum obligans ad recipiendam confirmationem.

Ita communis apud Authores citatos. Imprimis Divinum preceptum nullum extat, eo quod Sacramentum istud ad salutem non sit necessarium, sicuti notavit S. Thomas qu. 72. art. 8. ad 4. sed neque preceptum Ecclesiasticum hodie extare, restatur Doctor noster subtilis in 4. d. 7. qu. 2. apud Perillastren, & Reverendissimum Patrem Guilielmum Herincx Episcopum Ipremsen, ex Ordine nostro Seraphico, sæpe citatum, & citandum, disp. 9. de confirmatione qu. 6. n. 54. Item Laym. cit. cap. 5. n. 3. citans Navarrum, Henriquez, Suarez, Valentiam, Coninch & alios. Ratio est: quia si foret preceptum Ecclesiasticum, hæc utique suos filios cogeret ad impletionem illius, sicut cogit ad impletionem precepti aliorum Sacramentorum, nec permitteret tam facile aliquem mori sine hoc Sacramento, cujus utriusque contrarium tamen experimur: Ergo.

S. Obligans per se loquendo.

Nam per accidens, ratione contemptus, aut scandali, vel alterius circumstantiæ, posset omittere suscipere hoc Sacramentum graviter peccare. Quare D. Thom. citat. art. 3. docet, esse peccatum mortale, si quis Sacramentum confirmationis non recipiat propter contemptum. Alii quæ verò, ut Richardus dub. 7. art. 7. qu. 1. Gabriel, Sylvester, Toletus apud Layman citat. ajunt, etiam notabilem negligentiam contemptum censeri, ut si quis data opportunitate consequendi Sacramenti, qualem postea non facile habiturus sit, suscipere intermitteret. Sed id verum non videtur: quia multa animæ salubria facere intermitterimus, ex torpore quodam, vel quia cogitamus, absolute ad salutem nobis necessaria non esse, quæ tamen haud contemnimus. Porrò ratione scandali, nemo dubitat, per ejusmodi amissionem peccatum mortale incurri posse. Videatur noster Doctor Seraphicus S. Bonaventura, d. 7. art. 3. qu. 2. & irrefragabilis Alexander Aletensis in part. 4. qu. 26. memb. 2.

S. III. Obligans hodie.

Nam olim, eam statim post baptismum conferri solebat confirmationis Sacramentum, fuisse preceptum illud suscipiendi, non obscure colligitur ex dictis SS. Patrum, & antiquorum Conciliorum, Elbertini, cap. 38. Laodicensis, cap. 56. quod etiam notavit Petrus Sotus Lect. 2. de confir. in fin. Hodie verò, cum Episcopi Sacramentum confirmationis alicubi ministrare volunt, admonetur populus, non tamen precepto strictè imposto; ut qui confirmari non sunt, ad confirmandum accedant, vel adducantur. Videatur Catechismus Romanus, part. 2. de confir-

mar. n. 13. Posset tamen Papa, imò, & Episcopus præcipere suis subditis susceptionem hujus Sacramenti, si ad bonum Regimen judicaverint expedire. Herincx cit. q. 6. n. 55.

S. IV. Tenentur tamen Episcopi sub peccato hoc Sacramentum suis subditis ministrare.

Communis, Herincx citat. Layman citat. cap. 6. num. 3. Gobat tr. 2. n. 742. Angelus V. Confirmatio de Sacram. §. 1. Suarez disp. 8. sect. 1. Sylvester num. 2. Sà num. 12. Bonacina, & alii; ita quidem, ut si id longo tempore Ministrare intermitterent, mortaliter peccarent. Ratio est: quia omittre obire munus suum suis subditis providendi de Sacramento tam utili, esto in his non sit obligatio illud suscipiendi, est quid grave; & idè, sicut Parochi tenentur providere suis Parochianis de Sacramento extremæ unctiois, quantumvis non sit obligatio suscipiendi, etiam tenentur Episcopi ministrare Sacramentum confirmationis. Siquidem maxima est Sacramenti confirmationis utilitas, ut patebit ex q. seq. cujus proinde susceptio, & fructus omnibus inculcari deberet.

QUESTIO III.

De effectu confirmationis.

SUMMARIUM.

- 38 Effectus confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis: item
39 Jus ad gratias roborativas ad fidem Christi fortiter profectendam: Item
40 Character: & quidem
41 Distinctus à Characterè baptismi.

ASSERTIO III.

Effectus confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis, Jus ad gratias actuales, roborantes ad fidem Christi fortiter profectendam, & character distinctus à characterè baptismi. Est certa.

S. I. Effectus confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis.

Ratio est: quia confirmatio est Sacramentum vivorum; atqui Sacramenta vivorum causant per se augmentum gratiæ sanctificantis, seu gratiam sanctificantem secundam, ut patet: ergo augmentum gratiæ sanctificantis per se est effectus confirmationis; quod patet ulterius ex art. 8. & 19. ubi dicitur per hoc Sacramentum dari spiritum sanctum, qui absolute non dicitur alicui dari, nisi contraferat gratia sanctificantis. Dicitur est, Augmentum gratiæ sanctificantis, seu gratiam sanctificantem secundam, esse per se effectum confirmationis: quia per accidens posse Sacramenta vivorum, quale est confirmatio, causare gratiam sanctificantem etiam primam, est communis Doctrina apud P. Sporer Theol. Sacrament. p. 1. c. 1. sect. 2. nu. 23. quem vide.

S. II. Jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profectendam.

Pateat ex Concilio Florentino in Decreto unionis dicente: 39 Effectus autem hujus Sacramenti est: quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ex hac firmitate, seu robore fidei consistendæ, nomen ipsum confirmationis, suam trahit originem, ut ait Catechismus Romanus cap. de confirmatione. §. 16. ab eo (inquit) Nomen rei impostum est, quod hujus Sacramenti virtute DEUS in nobis id confirmat, quod baptismò operari capit, nosque ad Christianam soliditatem perfectionem adducit. Quod ulterius constat ex fine, propter quem Confirmationis Sacramentum fuit à Christo Domino institutum, qui est ad ipsius fidem tuendam: Omne autem Sacramentum præter gratiam habitualem confert peculiare auxilium, quod dicitur gratia Sacramentalis, ad melius, faciliusque consequendam finem, propter quem est institutum: Ergo

S. III. Et Character.

De fide est, Sacramentum confirmationis imprimere in Anima confirmari Characterem Spiritualem inde-

S. II. Secunda Confirmationis Ceremonia

Est, quod caput Confirmati circumligetur vitta, seu 44 linteo; quod fit ob Reverentiam Sacramentis, ut paulatim excicetur, & ne aliis rebus adhæreat, quæ vitta circumferri debet, & non ante ablutio fieri, quàm Unctio Chrismaris siccata sit; quamvis in ea re, cujusque loci consuetudinem servandam esse, moneant Suarez, Henriquez, Coninch. apud Layman lib. 5. tract. 3. capit. 7. numer. 2. Nam alicubi mos est, ut mox post collatum Confirmationis Sacramentum, frons Confirmati abluatur ab aliquo ex assignatis Sacerdotibus, sponsia, vel alio linteo; alibi expectatur, donec sic excicatum Chrisma: alibi circumferatur vitta tribus diebus, alibi septem diebus. Postquam vero frons tora, & vitta deposita est, ea comburi solet, & aliquibus locis in profectum mitti. Quanvis nihil obesse videatur, si diligenter lota, in Sacratio, vel alio honesto loco asservata, deinde ad similem Sacrum usum adhibeatur. Ad profanos tamen usus applicari non debet; Cum per Sacri Chrismaris contactum quodammodo sacra sit.

S. III. Tertia Confirmationis Ceremonia

Est, quod Episcopus det Confirmato Alapam, super 45 genam, dicendo: Pax tecum. Tum ut Confirmatus intelligat se armari hoc Sacramento ad injurias pro Christo tolerandas: Tum ut recoretur Sacramenti suscepti, & militiæ, ad quam exercendam conscribitur.

S. IV. Quarta confirmationis Ceremonia.

Est, quod debeat adesse Patrinus, qui Confirman- 46 dum teneat, ut habetur capit. in catechismo 100. & duobus seq. de consecrat. dist. 4. & quidem sub culpa gravi, ut docet Navarrus Manual. capit. 22. ex communi, apud La Croix lib. 6. part. 1. numer. 394. Ubi tamen facile non habetur Patrinus, potest omitti juxta Gobat tract. 2. num. 780. alii tamen melius suadent, ut unus tunc sit plurium Patrinus: Gobat citat. numer. 768. posse enim unum etiam eadem die esse Patrinum plurium, docet Barbosa, apud la Croix citat. numer. 396. Non permittitur hic unus, & una simul, sed solum unus, vel una. Gobat citat. num. 785. Palaus, Herincx &c. Ratio est: quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrimonium statuit de baptismo, quod possint esse duo Patrini, adeoque non videtur extendendum ad Confirmationem; Cum Juri Antiqui (quod capit. Non plures 101. dist. 4. de consecr. non admitti nisi unum, vel unam) correctio sine urgenti fundamento non debeat admitti. Verùm, quia Concilii Tridentini citati verba videntur tam ampliativè, quam restrictivè statuere de Patrinis huius Sacramenti, idecirco contraria opinio placet Navarri in summa capit. 22. numer. 40. Toletus lib. 2. capit. 24. numer. 111. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 57. num. 12. & Aliis, quos tuto sequeris, ait Gobat citat. ubi non repugnaverit Consuetudo. Debet etiam secundum Romanam consuetudinem Patrinus confirmacionis esse distinctus à Patrino baptismi extra casum necessitatis, capit. in catechismo citat. Putat tamen Sylvester, Verbi confirmatio, consuetudinem jam contrarium obtinere: Alii apud Herincx, disp. 9. de Confirmat. quest. 8. numer. 66. censent, secus facientem non peccare saltem mortaliter, uti nec si femina præsentet Virum Patrinum, vel è contra; etsi hoc sit minus conveniens, & contrarium præscribatur in Pontificali. Debet etiam Patrinus esse Confirmatus, Ex can. in Baptismo 102. de consecrat. dist. 4. & in Pontificali. Unde non confirmatus, si fuerit in confirmatione Patrinus, juxta DD. communiter apud La Croix lib. 6. part. 1. numer. 394. graviter peccaret; juxta Escobar, Quintanadvennam, & alios apud Gobat numer. 782. probabiliter tantum leviter; ac etiam juxta plerisque apud Herincx citat. numer. 66. invalide obiret munus Patrini, adeoque probabiliter non contraheret cognationem spiritualem. Contrarium tamen etiam est valde probabile, ait La Croix citat. num. 400. si enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non Patrinus? Nec obstat, quod canon. citat. in Baptismo de consecrat. dist. 4. dicat, illum, qui confirmatus non est, non posse alium suscipere; Nam ly Non posse, sæpe denotat tantum prohibitionem quod enim illicitum est, dicitur moraliter fieri non posse, uti notat Averfa. Potest insuper aliquis esse Patrinus in confirmatione per Procuratorem; idem tamen nequit simul esse confirmans, & Patrinus. Gobat citat. num. 790. Nihilominus confirmans potest esse Patrinus illius, quem

QUESTIO IV.

De Ceremoniis Confirmationis.

SUMMARIUM.

- 43 Prima Confirmationis Ceremonia est, ut Episcopus illam ministret in Habitu Pontificali;
44 Secunda est, ut caput seu frons confirmati circumligetur vitta, seu linteo:
45 Tertia est, ut Episcopus det alapam Confirmato;
46 Quarta est, ut adsit Patrinus;
47 Qualis debeat esse Patrinus?
48 An contrahat obligationem instruendi suum filium?
49 An contrahat cognationem spiritualem? &c.

ASSERTIO VI.

Ceremonie Confirmationis sunt Quatuor: Prima, ut Episcopus illam conferat indutus Habitu Pontificali: Secunda, ut Caput Confirmati circumligetur vitta, seu linteo: Tertia, ut Episcopus confirmato det alapam: Quarta, ut adsit Patrinus. Communissima apud Layman, Herincx, Gobat, La Croix, & alios.

S. I. Prima Confirmationis Ceremonia.

Est, quod Episcopus ob reverentiam Sacramenti debeat 43 indui habitu Pontificali, idque sub peccato Mortali, ut docet Diana part. 7. tract. 10. resol. 31. quemadmodum Sacros Ordines collaturus, debet venire indumentis, & Ornamentis Pontificalibus. Et licet Episcopus Sacramentum Confirmationis deberet conferre in Ecclesia, quantum commodè fieri potest; simpliciter tamen illud conferre potest quovis loco decenti, imò ob copiam adventantium etiam sub die, idque quamvis locus sit interdicitus, ut habetur c. Responsio de sentent. excomm. ita Herincx disp. 9. de Sacramento Confirmationis q. 8. numer. 64. similiter quamvis olim Sacramentum Confirmationis solum conferretur tempore Pasche, & Pentecostes, modò tamen invaluit Consuetudo conferendi illud omni tempore, & die, idque tam post, quàm ante prandium, ut patet ex Praxi Episcoporum.

indelebilem, unde etiam hoc Sacramentum iterari nec valde, nec licite potest. Patet ex Concilio Florentino cit. dicente: Inter hec Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est, Spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile: Unde in eadem Persona non reiterantur. Item ex Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in Genere, Can. 9. definiente: Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in Anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; Anathema sit. Rationem congruentiæ, cur Confirmatio imprimat characterem, Vide apud P. Sporer Theol. Sacram. p. 1. c. 1. sect. 4. n. 56.

S. IV. Distinctus à Characterè Baptismi.

Ratio multiplex est: 1. quia Concilia modò citata aperte dicunt tria Sacramenta imprimere characterem, utique non unum, cum non simul suscipiuntur: Ergo triplicem, seu tres ad invicem distinctos. 2. quia Confirmatio est Sacramentum distinctum, & quidem specie, à Baptismo, & Ordine: ergo etiam specie distinctum imprimet Characterem. 3. quia alius est Status Vivum Christi, quem significat Character Baptismalis: Alius est Status Militum Christi, quem significat Character Confirmationis; & alius est Status Ministrorum Christi, quem significat Character Ordinis: ergo etiam alii, seu distincti sunt Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. 4. Quia Character Baptismi est capacitas quædam moralis ad reliqua Sacramenta legitime suscipienda; Character autem Confirmationis est quædam Potentia ad fidem fortiter propugnandam. Aliud est de Gratia sanctificante habituali, quæ debet esse ejusdem speciei ex quacunque causa proveniat; cum idem semper sit principalis ejus finis, & effectus formalis, scilicet constituere filium DEI, & conferre Jus ad Gloriam Cælestem. Herincx disp. 9. de Confirmationis Sacramento, quest. 7. num. 63.